





32.

DISSERTATIO PERIODICA
DE
PLEBOTOMIA APVD PLE-
THORICOS CATHARSI
PRAEMITTENDA

QVAM

PRAESIDE

IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER,

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

Die XXX. Novembr. MDCCXXXVII.


H. L. Q. C.

DEFENDET

AVCTOR

DANIEL FRIDERICVS MÖSTNER,


BEVTHENA - SILESIVS.



FRANCOFVRTI ad VIADRVM,

Typis IOHANNIS CHRISTIANI WINTERI, Acad. Reg. Typ.





§. I.



Plethora, quæ in genere sanguinis boni abundantiam, qua corporis functiones plus minusve læduntur, denotat, vulgo in *plethoram ad mensuram sive vasa*, & *plethoram ad pondus sive vires* dividitur: Hæc in vera cruoris densi, ac solito ponderosioris abundantia, cui nulla, vel non adeo notabilis tamen vasorum turgescencia juncta deprehenditur, consistit, & proinde unice propemodum ex virium imminutione cognoscitur; illa autem ex sola vasorum turgescencia patefcere, ac meram sanguinis, parum cæteroquin abundantis, expansionem atque rarefactionem, nulla virium imminutione sensibili stipatam, supponere creditur.

§. II.

Circa præmissam plethoræ divisionem multa quidem monenda forent: Attamen, ne spatium, artûssimis hac vice
A 2 limiti-

4 DE PLEBOTOMIA APVD PLETHORICOS

limitibus circumseptum, ventilando momento primario præripiatur, paucis solummodo dixisse sufficiat, distinctionem hanc, si singulas videlicet circumstantias examini rigorofo subjicere velimus, non adeo firmo niti fundamento, dum solide quemquam demonstrare posse haud credo, præsentè plethora ad vasa, nullam prorsus in corpore virium imminutionem observari. Perinde enim esse videtur, an justo largior sanguinis densi ac ponderosi moles, an sanguis valde rarefactus fortiori resistentia sua vasorum contractionem, cujus vigor vegeti humorum circuitus, viriumque causa præcipua existit, minuat, languidioremque reddat.

§. III.

Plethora maxime generatur apud homines, qui vitæ sedentariæ dediti corpus suum motu & laboribus parum exercent, & lauta nihilominus diætâ utuntur; idque eo magis accidit atque citius, quando creberrimæ aeris atque tempestatum mutationes superveniunt, & transpirationem cutaneam, partiumque solidarum tonum modo augment, modo minuunt, adeoque proportionem, quæ adsumtorum & excretorum quantitatem necessario intercedere debet, turbant, ac plus minusve tollunt: Immo, plethora spuria, seu ad vasa apud subiecta, quæ potulenta spirituosa amant, eademque largius hauriunt, facillimè nascitur.

§. IV.

Abundantiæ sanguinis frequentissimè complicata reperitur fæcorum impuritas, cujus origo per sæpè in ventriculo & intestinis, corrupta saburra repletis, quærenda est; hinc patientes quoque atque medici de vicio utroque per venæsectionem non minus, quam purgantia tempestivè removendo rectè quidem cogitant, ast multi nihiloscus circa ordinem, tempore usus observandum, creberrimè committunt

tunt errores: Alii enim, qui vera artis salutaris fundamenta ignorant, vel ea tamen parum perpendunt, tum curandi, tum maxime praeservandi fine, promiscue venaesectionem purgationi ventris, & hanc illi praemittere consueverunt, dum perinde esse existimant, an prior, an vero posterior primum vocetur in usum; alii autem semper catharsin, praesertim periodicam autumnalem ac vernaalem, ad morbos avertendos susceptam, plebotomiae praemittendam esse opinantur. Verum enim vero, neque his, neque illis assensum meum simpliciter possum largiri: Variarum enim circumstantiarum apud subjecta diversissima occurrunt, quae nunc venam prius fecari, nunc autem ventrem prius impuritatibus collectis liberari jubent; & quum cautela haec maxime apud subjecta plethorica observanda sit, paullo uberius in sequentibus, praemissa tamen generali Catharticorum contemplatione, ostendere conabor, plebotomiam apud homines plethoricos longe securius ante, quam post purgationem ventris, praesertim si remedium utrumque duntaxat praeservandi scopo adhibendum sit, institui.

§. V.

Cathartica completa, de quibus hoc loco maxime sermo est, principio activo vel *gummoso*, vel *resinoso*, vel *resinoso-gummeo*, immo, si mineralis prosapiae fiat, *sulphureo-arsenicali*, pro specierum diversitate nunc majori nunc minori acredine praedito, reperiuntur instructa, & ideo etiam operationem suam in ventriculo & intestinis fortiter stimulando absolvunt. Post resolutionem enim, sive illa extra corpus per menstrua congrua, sive in ventriculo demum & intestinis liquoris gastrici &c. ope facta fuerit, particulae sive molecule minores memoratarum partium tunicis hinc inde pertinaciter adhaerescunt, & a calore, aere expanso, liquoribus solventibus, & ipso motu peristaltico incitatae & adactae, tunicam villosam tenerrimam perforando substratam

6 DE PLEBOTOMIA APVD PLETHORICOS

nerveam pungunt ac vellicant, adeoque stimulis hisce multoties reiteratis efficiunt, vt non ea tantum, sed arduissime quoque connexa musculosa in celeriores & vehementiores contractiones ruat; vnde fit, vt contenta intra breve tempus liquidiora evadant, & celerius postea atque copiosius per anum expellantur.

§. VI.

Non credendum interea est, actionem purgantium in solo ventriculo, & intestinis terminari, sed inde pariter illa ipsa ad viscera vicina, immo in totum corpus, & quidem triplici modo, extenditur. Primo nimirum motus celeriores atque fortiores, in ventriculi & intestinorum tunicis per purgantium puncturas ac vellicationes suscitati, non tantum mesenterium, quod tunicam intestinorum membranaceam format, & pleraque imi ventris viscera connectit, ad partes abdominis, sed per nervos quoque ad remotiores corporis partes propagantur: Secundo sanguis, qui per ventriculi & intestinorum vasa progreditur, sub celeriori ac validiori tunicarum, praesertim muscularis, contractione in motum redigitur velociorem, eumque postea reliquis humoribus circumstantibus communicat: Et tertio denique multae partes activae, quarum indolem in antecedente §vo adumbravi, ad ipsum sanguinem, ipsamque lympham transferuntur, & cum liquidis hisce per vasa circumactae, canalium, praesertim minorum, parietibus vividos sub transitu, aut diuturniori hinc inde adhaesione stimulos imprimunt, adeoque omnium quoque vasculorum contractionem celeriore validioreque reddunt.

§. VII.

Cognita ac debite pensitata catharticonum operatione generali, effectus pariter, ab actione eorundem in corporibus

bus plethoricis exspectandi, non amplius, facta scilicet convenienti singulorum adplicatione & comparatione, obscuri erunt. Vnumquemque enim, modice saltem rerum medicarum notitia imbutum, facillime perspecturum esse spero, quod sub ipsa eorum operatione, & post eandem necessario plethora, antea quieta, in commotam mutari, & sanguis quoque, nonnihil pridem rarefactus, ad majorem expansionis gradum deduci debeat: Quid aliud autem, superveniente mutatione memorata, metuendum, nisi densi, ponderosi, ac re vera abundantis, vel solummodo etiam, citra notabiliorem abundantiam expansi, sanguinis major in solida continentia impetus, fortior renitentia, & longe major atque violentior vasorum distensio ac turgescencia? Si antea enim fluidorum resistentia minor vim contractilem & ipsam contractionem vasorum minuere, vires in toto corpore debilitare, & motus atque functiones lædere potuit, nullo sane modo dubitandum erit, quin renitentia major, eum majori imprimis motus velocitate & impetu conjuncta, vegetæ contractionis libertatem magis prohibitura, majoremque functionibus læsionem illatura sit.

§. VIII.

Leviora quidem incommoda, quæ inde oriuntur, adhuc perferenda essent, nisi subinde graviore quoque, quin gravissimæ sanitatis turbæ post usum catharticorum intempestivum apud plethoricos supervenirent. Ratio enim nos docet, quod repentinis ac violentis hisce cruoris abundantis commotionibus vehementes congestiones ad partes nobiliores & loca incongrua, nec minus periculose vasorum valde turgidorum rupturæ succedere possint, ac debeant; immo, ipsa, eaque multiplex, experientia testatur abunde, quod persæpe noxii ejusmodi effectus re vera succedant. Nonne igitur ex memoratis congestionibus ulterius inflammationes partium solitariae, quin continua febre stipatae, nec minus

8 DE PLEBOTOMIA APVD PLETHORICOS

minus apoplexia, vertigo, palpitiatio aut tamen ad minimum tremor cordis, respiratio difficilis, & morbi similes resultare possunt? Nonne etiam ex vasculorum ruptura vomitus cruentus, hæmoptysis, hæmorrhagiæ vteri, aliæque ominosa sanguinis profluvia subito proficisci possunt? Ego sane de omnibus hisce minime dubito, nec alios quoque dubitaturos esse credo, si morborum memoratorum originem ac causas cum violentis plethoræ subito commotæ effectibus conferre, & singula scrutinio vberiori submittere velint.

§. IX.

Facilius, quod adhuc monendum duco, morbi allegati inde nascuntur apud subiecta plethorica, quæ simul viscerum imi ventris obstructionibus, itemque fluxus menstrui & hæmorrhoidalis suppressione laborant. Sanguis enim per purgantia modo prædicto commotus, ac libere nihilominus per vasa ac viscera abdominis obstructa meare ac remeare nesciens, adeoque ad partes superiores, maxime autem pulmones & cerebrum, largius regurgitare coactus, adeo partes laudatas obruit, vt violentæ vasorum distensiones, quin ipsæ nonnunquam rupturæ, & proinde non tantum morbi recensiti, sed ejusdem quoque commatis alii sequantur.

§. X.

Diutius profecto considerandis, explicandis, ac confirmandis hisce immorari vellem lubentissime, nisi maxima spatii destinati angustia, de qua in limine statim conquestus sum, ea relinquere, & pedem ad delibanda, quæ restant, promovere memet serio juberet. Paucis nimirum
adhuc

adhuc subjungendum erit, purgationem ventris, imminuta prius plethora, susceptam, non solum longe securiorem esse, sed melius etiam atque felicius succedere. Major securitas ex antecedentibus liquido patescit: Quod feliciorum vero successum attinet, ille partim in detumescencia vaporum sanguiferorum, & restituta contractionis libertate, partim in emendato se- & excretionis negotio suum fundamentum habet. Quando superflua enim cruoris quantitas venæsectionis beneficio ablata, ac corpus univcrsum onere molesto liberatum est, minuitur iterum iusto major fluidorum resistentia atque pressio, vasa sanguifera, præsertim arteriosa, ad naturalem redeunt diametrum, restituitur pristinus contractionis vigor, humores rursus per vasa liberius progredi incipiunt, & se- & excretioncs, quæ, præsentc statu contrario, nonnihil turbatæ, & hinc inde plus minusve suffaminatæ erant, iterum promptius succedunt: Quibus suppositis, ratio protinus adparet, cur, adsumto postea cathartico, impuri humores, in glandulis intestinalibus fecerendi, largius ad intestina constuant, & ob liberiorem quoque vegetioremque motum peristalticum promptior inde impuritaturn exclusio per alvum contingat.

§. XI.

Non desunt quidem, quod prorsus silentio prætermittere nequeo, qui, venæsectione ante catharsin administrata, largiorem saburræ in primis viis coacervatæ translationem ad sanguinem pertimescunt. Verum enim vero, metum hunc plane frustraneum esse firmiter credo: Nullam quippe rationem video, cur, extracto sanguine superfluo, & motuum vigore restituto, impuritates copiosius ex intestinis ad humores circulantes transire debeant. Credendum potius erit, illas ipsas, mediante motu peristaltico nunc iterum vegetiori atque validiori, melius attenuari, &

B

prom-

promptius per amplum canalem ordinarium promoveri, tandemque copiosius pariter per alvum expelli. Hisce accedit, quod, emendatò digestionis negotio, cujus vigor atque integritas a vegeto inprimis ac valido motu ventriculi peristaltico dependet, tam larga, quam antea, cum ventriculi motus memoratus adhuc debiliior esset, impuratum genesis atque collectio post esculentorum resolutionem nequaquam metuenda sit.

T A N T V M.



00 A-6271

[1]


VD18

f

ULB Halle 3
003 571 882







B.I.G.

Farbkarte #13

RTATIO PERIODICA
DE
NOMIA APVD PLE.
COS CATHARSI
EMITTENDA

QVAM
PRAESIDE
FRIDERICO CARTHEVSER,

DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.


Novembr. MDCCXXXVII.

H. L. Q. C.

DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS MÖSTNER,
BEVTHENA - SILESIVS.



COFVRTI ad VIADRVVM,
CHRISTIANI WINTERI, Acad. Reg. Typ.

